





8865

1766, 13.

S P E C I M E N

C O N T I N E N S

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M  
D E  
P R O H I B I T I O N E  
I V R I S A C C R E S C E N D I  
A T E S T A T O R E F A C T A  
I N T E S T A M E N T O .

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S O R. P U B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E X X I I I. I V N I I A N N O C I C I D C C L X V I .

D E F E N D E T

C H R I S T I A N V S C A R O L V S G O T T L O B  
H E I N S D O R F F

F I N S T E R W A L D E N S.

---

L I P S I A E

L I T T E R I S V I D V A E L A N G E N H E M I A E .



D E  
PROHIBITIONE IVRIS ACCRESCENDI  
A TESTATORE FACTA IN  
TESTAMENTO.



§. I.

Non late inquiram in origines *iuris accrescendi*; fuere enim inter eruditos, qui latioribus libellis hanc executi sunt materiam, inter quos eminuit **SCIPIO GENTILIS** de *iure accrescendi*, **Edm. MERILLIUS** de *Iure accrescendi* in **OTTON. Thesaur. T. IV.** **PAPILLONIUS** de *Iure accrescendi* *Libr. singul.* in **OTTON. Thes. T. eod. Franc. DVARENVS** de *Iure accrescendi*. **Fr. RAMOS del MANZANO** de *Iure accrescendi* in **MEERMANNI Thes. T. VII. BACH** *Diss. de Iure accrescendi*. Causam illius plerumque in hoc querunt, *quod nemo pro parte testatus, et pro parte intestatus* decidere posset. At vero, si rem accuratius cognoueris, hoc iuris *ἀξιωμα* vix primam iuris accrescendi causam continebit. Nam iam amplius causam quaero, quid impedit, quo minus, ut **CICERO** de *Iuuent. II. 21.* exprimit, *vnius pecuniae plures dissimilibus de causis heredes esse non possint*. Causam ergo primam quaero, vel in *familiae priuatisque sacris*, ad quae alligata bona seu pecunia erat, quae in scriptum heredem transferebantur, in qua materia dein pontifices regulam comprobauerant, vt, ad quem *sacra* venirent,



bona quoque sequerentur. Non ergo, qui partem pecuniae patris familias ex testamento obtinebat, poterat non obtainere id, quod testatum heredem non habebat. Necesse ergo, ut intestata bonorum pars ad eum veniret, qui testatam cum sacris, ad quae et intestata pars alligata erat, capiebat. Vel eam addo causam: cum testamentum legis vim haberet, illudque semper ut posterior lex considerandum esset, cum intestato succedendi ius ex antiquiori lege veniret, sequebatur, testamentum tanquam legem posteriorem derogari legi de intestati successione priori, ut hinc intestatis successoribus omne succedendi ius adimeretur. Non poterant ergo eam partem, in qua accrescendi ius statuebatur, capere, cum noua lege succedendi ius ademtum esset. Opus itaque erat, ut vacans illa portio ad eum veniret, qui ex noua lege, testamento videlicet, succedendi ius obtinuerat.

### §. II.

Neque videtur aliam in iure causam habuisse *ius non decrescendi*, cuius haec mihi videtur notio. Si enim testator coniunxerit heredes, singulique hereditatis partem obtinerent, unus vero partem suam repudiaret, cum de ea parte testatio facta esset, iam vacans *iure accrescendi* ad coheredes veniebat. Contra si de parte aliqua pecuniae testatio facta non esset, utpote si Titius, qui tria millia in bonis habebat, in testamento ita scripsisset: *Caius mihi in quingentis heres esto*, de reliquis duobus millibus cum quingentis plane filuerat in testamento, integra tria millia capiet Caius heres *iure non decrescendi*.

### §. III.



## §. III.

Venio nunc ad causam libelli. Incidere in manus testamenti tabulae, in quibus testator ita de bonis suis legem dixerat: Meine drey Wettern Caius, Maeuius und Seius sollen meine Vniuersal-Erben seyn, doch will ich zugleich hierdurch verordnen, im Fall Caius oder Maeuius mein Erbe nicht seyn sollte oder könnte, Seius an den erledigten Theil keinen Anfall haben solle. Vidi amplius Maeuium ante ipsum testatorem praemortuum suam hereditatis partem vacante fecisse mortuo postea testatore, et cum postea Caius et Seius aditam hereditatem diuisuri essent, duas partes sibi capere volebat Caius, tertia parte relicta Seio. Qui cum nollet contentus esse tertia sua parte, familiae que dimidiam peteret, lis orta, cuius fundamentum in eo posuerat, cum ius accrescendi ipso iure competeteret, testatoris prohibitione illud adimi non posse, quam indefinite veram opinabatur opinionem. Videamus an bene!

## §. IV.

Ante omnia distinguendum esse arbitror inter ius accrescendi in *hereditate* et quod inter *collegatarios* obtinet. Non est dubium posse testatorem ius accrescendi adimere collegatiis, ita, ut legati pars, in qua nulla prohibitione a testatore facta, obtinisset, iam facta, illa ad heredem veniat, ac si collegatarii nec re, nec verbis, nec mixtum coniuncti fuissent. Consentientem deprehendo  
**B A C H I V M** cit. diff. §. XVII. suaequae opinionis hanc dat rationem: *quia ius accrescendi inter collegatarios proficiunt ab interpretatione et coniectione voluntatis, locumque*



tantum habet in iis, in quibus ius illud esse, testatorem voluisse, ex verbis eius fit probabile: Cuius enim valet voluntas praesumpta, eius, multo magis necessare est, valeat voluntas expressa. Addo praeterea quia prohibito etiam accrescendi iure intestatus non efficitur pro parte testator, qui prohibuerat, quo minus legati portio eo iure ad collegatarium veniret.

### §. V.

At, quid de iure accrescendi in hereditate sentiendum. Affirmant, quos vidi, prohibitionem iuris accrescendi nullam esse, nulla distinctione posita, cui opinioni calculum addit BACH. cit. loc. STRVIVS in Euolut. Controu. Iuridic. Exerc. XXXIII. Th. VII. qui in rem suam POMPONIVM in L. 7. π. de Reg. Iur. vocat, apud quem scriptum est: *Ius nostrum non patitur eundem in paganis et testato et intestato deceſſisse, earumque rerum naturaliter inter se pugna est: testatus et intestatus.* Consentio, si duo pluresue heredes scripti, vt uno vel pluribus suam partem repudiante vel suis partibus repudiantibus intestati quaestio incidere posset, tunc enim cauendum, ne pro parte testatus et intestatus deceſſisse videretur testator. Hinc licet testator in testamento ius accrescendi prohibuisset, tamen frustra id factum fuisset, quippe ipso iure, seu ex ipsius iuris ratione cohaeredi ius accrescendi competit. Nemo enim aderat, ad quem iure haec portio vacans venire potuisset, quam ad scriptum alterum cohaeredem.

### §. VI.

## §. VI.

Sed propterea nollem testatori negare facultatem omnem prohibendi ius accrescendi, quod vel expresse interdum poterit, vel tacite, si efficiet, ut locum habere nequeat. Vtraque themata examinabimus.

## §. VII.

Primum ergo de expressa prohibitione. Cum omnis causa iuris accrescendi vel in sacris priuatis, vel in ademto intestatis heredibus succedendi iure, vel de non prohibendo iure accrescendi in regula posita, ne quis testatus et intestatus simul mortuus videatur, quaerenda; sequitur, quoties ratio, propter quam ius accrescendi prohiberi non debebat, cessat, posse testatorem vtique illud prohibere. Fac ergo plures duobus cohaeredibus esse constitutos, fac erga testatorem in vna persona ius accrescendi prohibere, adhuc metuendum non est, vt hereditas ad causam intestati perueniat pro parte, quippe adhuc superstes scriptus coheres, ad quem vacans illa portio peruenire potest iure accrescendi, quod alteri coheredi ademtum. Et quid obstat, quo minus in hoc themate applicemus legem illam Decemuiralem: PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER PECVNIA, ITA IUS ESTO. Cum enim vtique ex autoritate huius legis testatori liceat, pecuniam suam inter heredes inaequaliter diuidere, quid aliud efficiet in vno ex coheredibus prohibito iure accrescendi, quam vt videatur statuisse, se quidem velle, vt tres habeat heredes, inter quos aequaliter diuidenda hereditas, sed si tres habere non possit, se velle



vt unus ex duobus reliquis cohaeredibus duas tertias, alter unam tantum tertiam hereditatis partem capiat. Ethaec moueret me causa, vt in supra proposita specie Seio agendi ius negarem. Poterat enim testator, cui inaequaliter coheredum partes diuidere ius ex legum autoritate competit, velle, vt Seius unam tantum tertiam cohaeres haberet, cum Caius ex testatoris mentis testatione duas tertias capiendi ius obtinere deberet et videtur *tacita substitutio*, de qua infra.

### §. VIII.

At quid? Si postea contingat, vt Caius suam et iure accrescendi ad se devolutam partem repudiet, quaeritur an prohibitioni locus concedendus sit iuris accrescendi? Si rectam dedimus causam, ideo scilicet prohibitioni non dari locum, ne pro parte testatus et intestatus fiat, qui testamentum fecerat, facile patet, hanc hoc themate proposito prohibitionem iuris accrescendi antea validam, invalidam et nullam iam fieri debere, quippe vacantes et Maeuii et Caii partes intestatae permanerent, nisi Seius ex iure accrescendi, quamuis prohibito, admitteretur. Ne ergo testator et testatus, et intestatus simul decesse videatur, cum res in eam causam venerit, vt superforent intestatae portiones, sine dubio Seius integrum hereditatem capiet. Hi enim unicus erat heres, quem noua lex illa scilicet testamentum anteferebat legitimis successoribus, quibus omne succedendi ius eripuerat.

### §. IX.

Illis, qui iuris accrescendi prohibitionem admittunt, moti autoritate et libertate qua iure ciuili vtuntur testatores

res



res legem ferendo super pecunia sua, vt prouocant ad  
VLPIANI verba in L. 9. §. 14. π. de hered. insit. Sunt  
autem haec: *Si duo sint heredes instituti, unus ex parte  
tertia fundi Corneliani, alter ex beſſe eiusdem fundi: Cel-  
fus expeditissimam Sabini ſententiam ſequitur, vt detracta  
fundi mentione, quaſi ſine partibus heredes scripti, heredita-  
te potirentur: SI MODO VOLVNTAS PATRIS FA-  
MILIAE MANIFESTISSIME NON REFRAGA-  
TVR.* Sed vltima illa verba, ſicut tota lex ad thema no-  
ſtrum iuris accreſcendi non pertinet, nunquam proba-  
bunt, testatorem indiſtincte ius accreſcendi prohibere  
poſſe. Verba enim: *Si modo voluntas patris familiae ma-  
nifestiſſima non refragatur, nihil aliud indicant, quam cum  
testator heredes in fundo tantum ſcriperat, reliquae pe-  
cuniae vero mentionem testando haud fecerat, fundi  
mentione detracta integrum hereditatem iure non decre-  
ſcendi diuidendam eſſe inter vtroſque heredes ſcriptos  
eamque aequaliter, quaſi partium mentio facta non eſſet.*  
At ſi ex iſtis testamenti verbiſ manifestiſſime appareat vo-  
luntas testatoris, qua inaequaliter diuidendam voluit he-  
reditatem ipſe testator, contrarium ſentiendum videtur,  
et tunc diuidenda erit hereditas ita, vt inaequalium par-  
tium ſcriptarum ratio quoque ſeruetur. Sane hic nihil  
deprehendo, ex quo argumentando poſſit conſequi, eſſe  
in arbitrio testatoris absolute poſitum, an in ſua heredita-  
te locum velit concedere iuri accreſcendi, nec ne-



## §. X.

Probaueramus supra, posse themata inueniri, in quibus standum sit voluntati testatoris prohibentis ius accrescendi in coherede aliquo. Sed obiciunt aduersarii autoritatem **I V S T I N I A N I** in *L. vnic. §. 10. C. de caduc. tollend.* cuius verba: *et hoc nolentibus IPSO IVRE accrescat.* Concludunt, cum *ipso iure* detur ius accrescendi, fieri non posse, vt a testatore sua prohibitione scripta ius hoc eripiatur. Sed id ego ex his verbis non probarem. Indicare quidem mihi videntur, non opus esse, vt testator cohaeredibus ius accrescendi concedat in testamento, cum ex Legum argumentis et rationibus, et hinc ipso iure habeant; at vero exinde non deduci poterit, non posse adimi et prohiberi interdum id, quod *ipso iure* competit. Tutela legitima non minus, ac ipsa successio intestata *ipso iure* proximis agnatis competit. Quis vero negat, patrem familias posse tutelam legitimam prohibere proximumque agnatum a tutela excludere, imo testamento tutorem dare, quo is, qui *ipso iure* tutor erat, excluditur. Ita quoque comparatum est in successione legitima, quae *ipso iure* defertur; et tamen hoc ius nihilominus pater familias agnatis suis adimere poterit, extraneosque heredes constituere testamento, quibus alias succedendi ius nullum erat. Saltem haec verborum vis non habebit eam potestatem, vt opinionem nostram mutemus, ex qua statuebamus, quoties prohibito *iure accrescendi* in coheredibus testator pro parte non efficeretur intestatus, valere vtique prohibitionem, quae contra officium



cium suum perdet, quoties per eam efficeretur, vt pro parte testatus tantum, et pro alia intestatus decessisse videretur.

§. XI.

Haec tenus de prohibitione iuris accrescendi in coheredibus expressa differuimus. Iam videamus, annon possit testator alio modo quoque efficere, vt locus non sit iuri accrescendi, non obstante hoc, quod ipso iure competit. Et puto, vtique id contingere posse, maxime in auxilium adhibita *Substitutione vulgari*. Haec enim cum sit vltior in locum primi deficientis heredis institutio, efficiet, vt si portio aliqua vacans sit, nunquam ad coheredem veniat, si aliis quis ei, qui vel non vult, vel non potest esse heres, substitutus sit. Cum enim leges ciuiles id indulgeant testatori, vt pro voluntatis suae ratione et arbitrio substituere vulgariter possit, ita enim testatur MARCIANVS in L. 36. §. 1. π. de *Vulg. et Pupil. substit.* *Et plures in unius locum possunt substitui, vel unus in plurimum; vel singulis singuli; vel inuicem ipsi, qui heredes instituti sunt:* dubium non est, si testator singulis heredibus substitutos singulos substituat, idem effecturum, ac accrescendi ius prohibueret: Fac ergo testatorem ita scripsisse in testamento: *Titius, Caius, Seius mihi heredes sunt aequaliter partibus.* Si postea perget. *Si Titius heres non erit Sempronius heres esto.* Quaero, si vel Titius heres non poterit esse, vel non vult; an locus sit iuri ad crescendi? et recte negandum videbitur, portio enim eius ad substitutum heredem veniet Sempronium. Efficiet itaque testa-



tor vulgariter substituendo, vt ius accrescendi tacite prohibuisse videatur.

### §. XII.

Sed haec ita effectum habebunt, quo vsque ea non interuenit causa, ob quam iuris accrescendi prohibitio nem statuere negauimus. Simulac enim contingeret, vt is, quem testator substituerat ad euitandum ius accrescendi, vel portionem hereditatis ex substitutione deuolutam vel nollet, vel non posset accipere, amplius exclusum non videtur ius accrescendi; sed cum contingere tunc possit, vt, nisi locum concederemus iuri accrescendi, causa pro parte ad intestatam successionem veniret, id vero iuris analogiae refragaretur, tunc cohaeredes quod ipso iure competit, ius accrescendi exercebunt. Fac ergo, si Testator Titio solum, ne eius portio ad coheredes veniat Caium et Seium, substituisset Sempronium, qui deficiente Titio ex substitutionis iure succedere vel nollet, vel non posset, quis amplius dubitabit, hoc casu nihilominus Sempronii, vel si mauis Titii portionem reliquis coheredibus Caio et Seio accrescere, ne pro parte intestatus decesse videatur testator.

T A N T V M .

Lipzg, Diss. 1766 A 6



TA-OC





S P E C I M E N  
CONTINENS  
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM  
DE  
PROHIBITIONE  
IVRIS ACCRESCENDI  
A TESTATORE FACTA  
IN TESTAMENTO.  
Q V O D  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.  
S O C I O  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XXIII. IVNII ANNO CICICCLXVI.  
DEFENDET  
CHRISTIANVS CAROLVS GOTTLLOB  
HEINS DORFF  
FINSTERWALDEN.S.  
L I P S I A E  
LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.